DE MALITIOSA IVRIS INTERPRETATIONE

AD CIC. L. I. C. X. DE OFFIC.

CONSENSV
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
PRAESIDE

L. GEORG. PHILIPP. OLEARIO P.P.

PVBLICE DISSERET

IO. ABRAHAMVS BIRNBAVM LIPSIENS.
IVRIS VTRIVSQVE CVLTOR ET PHILOS.
BACCAL.

LIPSIAE A.O.R. cIↄ Iↄcc XX. d. VII. DECEMBR.

LIPSIAE,
LITERIS IMMANVELIS TITII.

I.

MAgnum omnino discrimen inter veram prudentiam et astutiam siue calliditatem intercedere, prudentissimi quique, ac genuinae sapientiae compotes facti, semper agnouerunt ac testati sunt. Ipsa aeterna veritas, Christus Dominus ac Deus noster prudentiam cum simplicitate id est morum integritate ac sinceritate coniunxit, his verbis: γίνεσθε φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις καὶ *Matth. X. 16.* ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. Estote *prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.* Quin imo paganorum sapientes, qui non ad classem τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων, i. e. *veritatem iniuste supprimentium* pertinent, bonitate luminis naturalis hac de re abunde convicti fuerunt. Hinc praeclarum CICERO Platonis illud: *Scientia*, inquientis, *quae est remota à iustitia,* *l. 1. de offic.* *calliditas potius, quam sapientia est appellanda* teste Cicerone. *c. 19.* In eandem sententiam Plato alibi τὸν δίκαιον describit, ἄνδρα ἁπλῶν PLATO *l. 2. de Rep.* καὶ γενναῖον, κατ' Αἴσχυλον οὐ δοκεῖν ἀλλ' εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντα i. e. *Iustum Virum* esse *simplicem* ac *generosum*, *qui iuxta* *l. c.* *AEschylum non videri bonus, sed esse malit.* Id quod Cicero hisce verbis exprimit. *Itaque Viros fortes, magnanimos, eosdem bonos, et simplices, veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus.* Quocirca Cicero itidem alibi monet, astutias esse *de offic. l. 3.* tollendas, eamque malitiam, quae vult illa quidem videri, se es- *c. 17.* se prudentiam, sed abest ab ea, distatque plurimum. Vnde satis patet, quantopere illi fallantur, qui saepe versutos homines et callidos admirantes, malitiam sapientiam iudicant, eosque prudentes vocant, qui multa simulare ac dissimulare norunt, multa mentiri; eos, quibuscum agunt, commodi sui causa fallere ac circumuenire: et quod sibi proposuerunt, multas vias reperire, quibus id

MVRET. Vol. II. Orat. 24.

quomodo adipiſcantur: quae iudice Mureto, prudentia non eſt, ſed calliditas, verſutia, aut ſi prudentia eſt, carnis prudentia eſt; quam ſe perditurum minatur Deus, quam mortem eſſe Paulus affirmat, cum miſer huiusmodi, qui alium fallit, fallat ipſe ſe, et induat multo pernicioſiorem in laqueum, quam quo implicare alium parat. Vera autem prudentia eſt et cognoſcere, quid petendum fugiendumque ſit, et quibus viis tum ipſe eo peruenire, tum alios eodem perducere commodisſime posſit; nihil temere atque inconſiderate agere, ſed vnaquaque in re, quid rerum, perſonarum, locorum, temporum varietas poſtulet, diiudicare. Prudentia eſt enim locata in delectu bonorum et malorum: malitia (ſi omnia, quae turpia ſunt, mala ſunt) mala bonis ponit ante. Sicut igitur prudentia ubi eſt, ibi quoque perfecta virtus et bonitas reperitur, ita quoque aſtutia cum malitia perpetuo nexu cohaeret, qua de re plura quoque apud Ariſtotelem legi merentur. Quae cum ita ſint, nihilo ſecius tamen aſtutiam et calliditatem loco genuinae prudentiae ac verae ſapientiae per totum terrarum orbem undiquaque late graſſari videas. Sic Machiauellus cum ſuis aſſeclis à vera prudentia longe aberrat, quando finem vltimum Reip. eſſe debere, peruerſe admodum docet, non beatitudinem eam, prout B. Iacobus Thomaſius mentem eius exprimit, quam ex virtutum exercitiis metimur, ſed imperantium potentiam et commodum priuatum, quantum eſſe poteſt maximum. Breuiter non honeſtum, ſed vtile. Vnde ad hunc finem per fas et nefas nullo diſcrimine, contendere docent. Sic etiam Pomponius loco prudentiae calliditatem amplecti videtur, vbi in pretio emtionis et venditionis, naturaliter licere contrahentibus ſe circumuenire ſtatuit; quamuis GROTIVS hunc locum ita emollire ſatagat, vt licere, non quidem fas eſſe dicat, ſed ita permitti, vt nullum contra proditum ſit remedium in eum, qui ſe pacto velit defendere. Naturaliter autem eo in loco vt et alibi interdum poſitum eſſe pro eo, quod recepti pasſim moris eſt, quam

ARISTOT. l. VI. Ethic.

THOMAS. in Annot. ad Tab. Ph. Pr. XXXII.

l. 16. §. vlt. ff. de min. 25. ann.

GROTIVS *de I. P. et B. l. 2. c. 12.*

ex-

explicationem PVFENDORFFIVS quoque asserit. nam alias tantum abest, vt leges ciuiles fraudes et fallacias permittant, vt potius in omni contractu easdem longe abesse iubeant; vnde iure ciuili sancitum est, vt is, qui cum aliquo contrahit, vitia sibi nota rei, de qua agitur, significare debeat: quod iudice GROTIO l.c. non ciuilibus tantum legibus constitui solet, sed naturae quoque actus congruit. Bene AMBROSIVS: *In Contractibus etiam vitia eorum, quae veneunt, prodi iubentur, ac nisi intimauerit venditor, quamuis in ius emtoris transscripserit, doli actione vacuantur*. Lactantius item dixit: *Qui vendentis errorem non redarguit, vt aurum parvo emat, aut qui non profitetur, fugitiuum seruum, vel pestilentem se domum vendere, lucro et commodo suo consulens, non est ille sapiens, vt Carneades videri volebat, sed callidus et astutus.* Quocirca paulo crassius hac ex parte PVFENDORFFIVS l. c. philosophari videtur, quando non absurde Anacharsim forum vocasse existimat, *ὡρισμένον τόπον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾶν καὶ πλεονεκτεῖν, locum ad fallendum inuicem, atque ad dandas auaritiae manus destinatum*, inprimis cum Deus vnicuique mortalium per lumen tum naturae tum reuelationis, seuerissime iniunxerit: neminem laedendum et ab iniuria abstinendum esse; *τὸ μὴ ὑπερβαίνειν, πλεονεκτεῖν ἐν τῷ πράγματι τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ. διότι ἔκδικος ὁ Κύριος περὶ πάντων τούτων, ne quis fratrem suum in negotiis circumueniat aut circumscribat, siquidem horum omnium vltor est Dominus.* Quod si vero omnis calliditas et astutia cum iniuria alterius coniuncta detestanda sit, certe ea potissimum odio habenda erit, quae ipsas leges, quae propugnacula et muri iuris ac iustitiae esse debebant, malitiose peruertit, qua de re iam ex instituto plura differere in animum induximus. Occasionem autem meditationibus hisce suppeditavit CICERO, qui l. 1. c. X. de Offic. ita scribit:

PVFENDORFF. *de I. N. et G. l. V. c. 3.*

AMBROS. *Off. l. II. c. 10.*

LACT. L. V. c. 17.

1. Thess. IV. v. 6.

EXISTVNT SAEPE INIVRIAE CALVMNIA QVADAM, ET NIMIS CALLIDA, SED MALITIOSA IVRIS INTERPRETATIONE. EX QVO ILLVD, SVMMVM IVS, SVMMA INIVRIA, FACTVM EST IAM TRITVM SERMONE PROVERBIVM.

Quem

Quem locum adductum iam primo exegetice exponemus, dein exemplis ex historiarum monimentis desumtis, illustrabimus, et tandem rem ipsam rationis iudicio examinaturi sumus. Deus Faxit feliciter!

II.

PRISC. *l. X.*
Adelph. Act. IV. sc. III.

Loquitur igitur TVLLIVS in textu, quem paulo penitius excutere decrevimus, de calumnia, quam vocem PRISCIANVS deriuat ab inusitato supino *calutum a calvo. Caluo* autem est antiquum verbum, et teste Lexico Fabriano, significat, *decipio, frustra habeo,* quo sensu a TERENTIO adhibetur: *propter suam impotentiam se semper credunt calvier*, & in XII. Tab. *Calvor*, Gaio interprete, significat, morari et frustrari. Vnde Calumniatores quoque eos, qui per fraudem et frustrationem alios vexarent litibus, appellatos idem scribit, et veteres Glossae, teste Brissonio, vbi plura de hoc vocabulo legi possunt, *Calumniator*, inquiunt, *falsi criminis accusator, a calvendo id est frustrando et decipiendo dictus.* Adeoque haec vox equidem in genere quamuis fallaciam et fraudationem in iudicio factam notat, specialissime autem nimis callidam et malitiosam interpretationem iuris, vti TVLLIVS ipse in loco nostro satis luculenter explicat.

l. 233. pr. ff. d. verb. sign. Brisson. de verb. signif.

III.

Eodem sensu CICERO alibi, siue quicunque sit, auctor librorum ad Herennium Lib. II. *Calumniatoris officium esse*, ait, *verba et literas sequi*, et in Orat. pro Caecina: *scriptum sequi, Calumniatoris esse, bonique iudicis, voluntatem scriptoris auctoritatemque defendere.* Vocat autem CICERO *calumniam*, callidam et malitiosam *iuris* interpretationem: Ius vero generaliter appellatur, quicquid lege praecipitur, vnde nonnulli derivant a iubeo, quasi iussus et iussio superioris. Nihil enim aliud censetur esse ius, quam quod Deus, natura, populus, gens, ciuitas, consuetudo, Princeps iubet, iussit atque iubebit in vsum vniuersi. Equidem VLPIANVS ius à iustitia appellatum ait, quam derivationem nonnulli ideo repudiant, quod ius iustitia prius sit et antiquius. An vero haec ratio sit magni momenti, valde dubita-

l. 1. pr. ff. de iust. et iur.

bita-

bitamus, cum Scipio apud CICERONEM quam optime dicat, *l. 3. de Riep.* ius ex iustitiae fontibus emanare, quem locum citat AVGVSTI- *l. 15. de Civ. Dei* NVS. nam iustitia et sanctitas summi Numinis aeterna revera est fundamentum iuris. Nimirum Deus δικαίωμα vel iustitiam suam in se habet, vtpote qui sit necessario iustus et sanctus. Et creaturis intelligentibus ius initio impressit in creatione, et deinceps verbo suo expressit. Recta ratio est, quae id intelligit: lex est doctrina de eo. Ideo fit, vt recta ratio, lex et ius idem nonnunquam significent. *Hanc video*, inquit CICE- *L. II. de Legibus c. 4. § 8.* RO, *sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, nec scitum esse aliquod populorum, sed AETERNVM quiddam, quod vniversum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia. Ita principem legem illam, et vltimam, mentem esse dicebant, omnia ratione aut cogentis, aut vetantis Dei: ex qua illa lex, quam Dii humano generi dederunt, recte est laudata. est enim ratio, mensque sapientis ad iubendum et ad deterrendum idonea: Quae vis ad recte facta vocandi, et a peccatis auocandi, non modo senior est, quam aetas populorum, et ciuitatum, sed aequalis illius, coelum atque terras tuentis, et regentis Dei. 'Neque enim esse mens diuina sine ratione potest, nec ratio diuina non hanc vim in rectis, prauisque sanciendis habere: nec si regnante Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, icirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiae, Tricipitini filiae, vim attulit. erat, enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans: quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est. Orta autem est simul cum mente divina. quamobrem lex vera, atque princeps, apta ad iubendum, et ad vetandum, ratio est recta summi Iouis.* Hinc alibi idem CICERO: *Honesta et turpia*, inquit, *a na- l. 1. d. leg. c. 16. n. 44.* *tura diiudicantur. Nam et communis intelligentia nobis notas res efficit, easque in animis nostris inchoavit, vt honesta in virtute ponantur, in vitiis turpia. haec autem in opinione existimare*

non

in not. ad Grot. d. I. B. et P. p. 7. *non in natura posita, dementis est.* Qua de re grauissime itidem pronunciat praestantissimus quondam ICtus B. ZIEGLERVS: negari scilicet non posse, esse in Deo aeternam aliquam legem, h. e. rationem diuinam sapientiae, directiuam omnium actuum et motuum in suos fines, et ius aliquod naturale immanens, antecedenter ad omnem liberum voluntatis actum, secundum quod non potest velle, quod iuri illi repugnat. Quae caussa sine dubio est, vt Scipio Gentilis libro Originum scribat, *ius* esse à *Ioue*, quemadmodum Graecis δίκη (vt aiunt) quasi Διὸς κόρη *Iouis filia*, quam Etymologiam et ii sequuntur, qui *Ius* dici *v. Vossii Etymolog.* volunt, quasi Iouis os, quia nempe id demum iustum sit, quod Deus sit profatus.

IV.

Quamuis autem *Ius*, vti ex hactenus dictis satis patet, sit vocabulum generale, et suo ambitu tum iura naturalia tum ciuilia complectatur, in nostro tamen loco non de iure naturali, sed ciuili sermonem esse, ex ipsa substrata materia colligimus. nam per nimis strictam iuris obseruationem peccari posse CICERO indicat, id quod circa Ius naturae locum habere non posse videtur, vtpote quod cultus Dei et Amor aliorum ceu primaria capita, ex quibus reliqua deducantur, constituant, in vero autem Dei cultu ac genuino alterius amore modum excedi non posse vnusquisque satis perspicit. Sed praeter communia omnium hominum iura omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, etiam suo proprio iure vtuntur. Nam quod quisque populus ipsi sibi Ius constituit, id ipsius proprium ciuitatis est, vocaturque *§. 1. Inst. de I. N. G. et Civ.* Ius ciuile, quasi Ius proprium ipsius ciuitatis. Nam licet satis beate viueremus, si naturam ducem sequeremur, et Deum aliosque sincero amoris affectu complecteremur; interim tamen, quia quod iustum et laudabile est, multi, vel quia sunt hebetes, non intelligunt: vel quia sunt improbi, dissimulant: iccirco, ne peccantibus daretur excusandi locus, scripta lex est, quae quid agendum fugiendumue esset, perpetuis literarum notis, testatum at-

que

que expressum ante oculos poneret. Quodcunque ergo quisque superior, ad vtilitatem Reip. promouendam, aequalitatemque inter ciues conseruandam constituit, illud dicitur esse Iuris Ciuilis, vbi multa specialia, quae ad peculiarem alicuius Reip. statum pertinent, determinantur. Nec tamen solum leges in Rep. scriptas, verum etiam pacta, omnesque iuris scripti et non scripti species, quae recensentur in Inst. de Iure Nat. Gent. et Ciu. CICERO iuris voce comprehendit, id quod vel ex subiunctis exemplis satis elucet, de quibus mox plura dicenda erunt: qua ratione Auctor quoque librorum ad Herennium, Ius constare dicit his partibus, *Natura*, *Lege*, *Consuetudine*, *Iudicato*, *aequo et bono*, *pacto*. *l. II. 13.*

V.

Sed cum iura et leges occupentur circa vniuersalia, certe inanis foret omnium legum tenor, nisi de genere facti positae singularibus applicentur, et quod cuique potentia competit, id actu seu effectu tribuatur, vnde reddendi iuris nata potestas, ad quam requiritur interpretatio iuris, cuius CICERO in loco nostro mentionem facit. Etenim cum omnes articuli sigillatim aut legibus comprehendi, aut senatusconsultis nequeant; Lex autem ad factum vel speciem aliter applicari non possit, nisi casus obueniens in ea contineatur: hinc opus interpretatione, cuius normam et mensuram, GROTIVS et PVFENDORFIVS aiunt esse collectionem mentis ex signis maxime probabilibus. Hinc antiquitus constitutum erat, vt essent, qui iura publice interpretarentur, quibus a Caesare ius respondendi datum est, qui Iuris Consulti appellabantur. *Sin autem quaereretur*, inquit ANTONIVS apud CICERONEM, *quisnam Iurisconsultus vere nominaretur, eum dicerem, qui legum et consuetudinis eius, qua priuati in ciuitate vterentur, et ad respondendum, et ad agendum, et ad cauendum peritus esset.* Sed haud male SCHARDIVS iudicare videtur, veriorem hanc esse definitionem: Iuris Consultus est, qui tum iuris ciuilis, tum aequi bonique peritus, populo se ad agendum,

L. 12. ff. de LL.

GROT. *L. II. de I. B. et P. C. 16. §. 1.* PVFEND. *L. V. de I N. et G. c. 12. §. 2.*

L. 1. de Orat. 48.

in Lex Jurid.

dum,

dum, cauendum, interpretandum, respondendumque dedit: Et hanc aequi bonique peritiam ac obseruationem in IurisConsulto requiri, ipse CICERO alibi disertis verbis testatur, *cum enim permulta*, inquit, *praeclare legibus essent constituta, ea Iureconsultorum ingeniis, pleraque corrupta ac deprauata sunt?* Et quid hoc mirum? Etenim *in omni iure ciuili*, ut paulo post CICERO loquitur, *Iureconsulti aequitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt.* neque periculum est, quae persuasio multorum animos occupauit, ne obseruatio boni et aequi cerebrinam, vti vocant, Iurisprudentiam progignat, cum ipsa iura ciuilia contrarium doceant, dum sanciunt: *scire leges, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem*, et: *in omni dispositione mens et voluntas disponentis primum locum occupat.* Hoc si quis neglexerit, vel ignorantiam, vel malitiam prodit, quod vltimum respiciens CICERO in loco nostro meminit *nimis callidae et malitiosae interpretationis.*

pro Muraena c. 12.

l. 17. ff. d. LL. l. 19. pr. ff. d. re cond. et demonstr.

VI.

Callidus est μέσον vocabulum, quod tum in bonam, tum in malam partem, apud Latinos scriptores vsurpatur. Originem trahit à verbo *callere*, quod proprie est, indice Vossio in Etymologico, *callum contrahere*: sed μεταφορικῶς à corpore ad animum transfertur, vt *callere* idem sit, ac multa experientia doctum esse, penitus quid notum habere ac intelligere. sic HORATIVS:

IV. Carm. Ode IX.

Non possidentem multa vocaueris
Recte beatum, rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter vti,
Duramque callet pauperiem pati,
Peiusque leto flagitium timet.

A *calleo* autem est *callidus*, ut a *caleo*, *calidus*, a *torreo*, *torridus* &c. proprieque callidus est, cuius tanquam manus opere, sic animus vsu concalluit, vti versutos eos appellamus, quorum celeriter mens versatur, quemadmodum ipse CICERO explicat.

L. III. de Nat. Deor. C. X.

Ac

Ac similiter Donatus in Adelphis ait: *Callidus dicitur, qui callum sibi vsu artis induxit.* Itaque haec vox significat scientem, peritum, intelligentem, doctum, sollertem; quo sensu TACITVS de Suetonio Paullino, *Quo nemo*, inquit, *ea tempestate callidior rei militaris*, et COLVMELLAE Aristoteles callidissimus rerum naturae interpres dicitur, id est, scientissimus, prudentissimus, quemadmodum idem TACITVS alibi *temporum callidos dixit.* Exempla quoque callidorum Ducum, qui calliditate sua magnas sibi pepererunt laudes, affert CICERO. Callidum Hannibalem, inquit, ex Poenorum; ex nostris Ducibus Q. Maximum accepimus: facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, praecipere hostium consilia. In quo genere Graeci Themistoclem et Pheraeum Iasonem, ceteris anteponunt, inprimisque versutum et callidum factum Solonis, qui, quo et tutior vita eius esset, et plus aliquando Reip. prodesset, furere se simulauit. Hisce callidis opponit CICERO ibidem simplices et apertos, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimicos. quamuis talis calliditas et omnes partes eiusdem a CICERONE recensitae, si contra hostem, iniustum inuasorem, adhibeantur, neutiquam improbari queant, nisi quis omnia strategemata, quae sunt sollertia Ducis consilia ad hostem circumveniendum, qualia scripsit e Latinis Frontinus, e Graecis Polyaenus, temere reiicere velit.

TACIT. L. II. Histor. XXXI.
COLVM. L. VII. c. 5.
De Offic. l. 30.

VII.

Sed tamen in malam quoque partem vocem *Callidus* saepe vsurpari pro eo, qui ingenio ad fraudes dolosque abutitur, iam sub initium huius disputationis dicta satis euincunt. Hinc quoque in veteri Glossario legitur: *Callidus πανῦργος, θερμός.* sed θερμὸς est *calidus*, itaque diuersas voces Glossarium conturbat. item: *πανῦργος, callidus, astutus, versutus.* Saltem in nostro loco hanc vocem in malam partem vsurpari, vel ex adiecto adverbio, *nimis*, abunde patet, vtpote quo innuitur, de vitio hic sermonem esse, namque vt Horatius canit:

HORAT. l. I. Serm. sat. I.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Quam ob caussam CICERO, talem interpretationem nominat malitiosam. quemadmodum vero CICERO alibi malitiam definit *versutam et fallacem nocendi rationem:* sic etiam ex huiusmodi nimis callida, et malitiosa Iuris interpretatione existere saepe iniurias ait. Iniuria ex eo dicta est, quod non iure fiat: omne enim quod non iure fit, iniuria fieri dicitur. Duobus autem modis, teste CICERONE, id est, aut vi, aut fraude fit iniuria, fraus, quasi vulpeculae, vis, Leonis videtur: vtrumque homine alienissimum: sed fraus odio digna maiore. Totius autem iniustitiae nulla capitalior est, quam eorum, qui cum maxime fallunt, id agunt, vt Viri boni esse videantur. Et ad hanc classem iure merito referuntur illi, qui specie iuris et malitiosa eius interpretatione aliis iniuriam inferunt, nam dum eo, quod ad prohibendas iniurias constitutum fuerat, malitiam et fraudes tegere, ac pro viris honestis reputari satagunt, sane omnium bipedum nequissimi recte existimantur. *Ex quo illud*, pergit CICERO in loco nostro, *summum ius, summa iniuria, factum est iam tritum sermone prouerbium*, hoc est, tum maxime disceditur ab aequitate, cum maxime superstitiose haeretur legum literis. Id enim summum ius hic appellatur, cum de verbis iuris contenditur, neque spectatur, quid senserit is, qui scripsit, nam voces ac literae sunt quasi legum summa cutis. Eas ineptias quorundam superstitiosorum Iuris interpretum, copiose simul et eleganter illudit M. TVLLIVS in actione pro Muraena. Hoc ipsum est, quod MENANDER dicit: *καλὸν οἱ νόμοι σφόδρ' εἰσὶν, ὁ δ' ὁρῶν αὐτοὺς λίαν ἀκριβῶς συκοφάντης γίνεται: Leges res praeclarae sunt, sed qui eas accuratius, quam par est, intuetur, calumniator est.* Et TERENTIVS: *Verum illud, Chreme, dicunt, ius summum, saepe summa malitia est.* COLVMELLA denique idem confirmat, *nec est sane*, inquiens, *nobis vindicandum, quicquid licet. Nam summum ius antiqui putabant summam crucem.*

L. III. de Nat. Deor.

L. 1. de Offic. c. 13.

HEAUT. act. IV. sc. IV.

L. I. c. VII.

§. VIII.

VIII.

Notatu dignum eſt, quod calumnia, vel nimis callida et malitioſa iuris interpretatio, et ſummum ius, Ciceroni in loco noſtro ſint vnum idemque, quae alias diſtingui poſſe videntur. eſt nimirum ſummum ius, cum leges ſeuere ſine mitigatione retinentur, etiam cum propter circumſtantiam aliquam ratio erit mitigationis. id quod ἀκριβοδίκαιον appellatur, cui opponitur ἐπιείκεια ſiue aequitas, quae eſt probabilis mitigatio ſummi iuris in aliqua circumſtantia, praefertim in caſu, de quo non praecipue lex loquitur. Vno alterone exemplo rem illuſtrare haud ab re fuerit. Sic apud Thebanos lex erat: Vetus Imperator nouo Imperatori exercitum tradat, alioqui capitale eſto. Epaminondas Thebanorum Imperator, cum bellum gereret contra Lacedaemonios, ſucceſſori ſuo, nouo Imperatori noluit exercitum tradere, quia timebat, ne is Remp. male gereret; ipſe vero paucis diebus poſt inſignem victoriam de Lacedaemoniis reportauit: accerſitur capitis, quia contra legem fecit, cum nouo Imperatori tradere exercitum noluerit; videtur omnino peccaſſe: verum quia pro ſalute Reip. probatur id feciſſe, venia dignus eſt. hoc ex aequo et bono contra verba legis recte ſtatutum eſt. Ita Populus Romanus Horatio, qui ſororem ſuam, ſponſi morte dolentem, interfecit, parcendum eſſe iudicabat, ſiquidem virtute ſua feciſſet, ne Albanis Romani ſeruirent. Apud Gellium Areopagitae liberant mulierem Smyrnaeam, quae veneno maritum et filium eius necauerat, qui tamen prius occiderant mulieris filium, natum in priori coniugio. Areopagitae tulerunt ſententiam, vt centeſimo anno poſt, cauſa iterum agnoſceretur. Ita non approbant quidem atrox facinus, ſed tamen pœnam remittunt, propter iuſtum matris dolorem. Demoſthenes item in oratione contra Ariſtocratem recitat duo iudicia Deorum in Areopago. In altero Mars abſolutus eſt, cum interfeciſſet filium Neptuni Halirrothium, qui ſtuprauerat Alcippen Martis filiam. Deinde Oreſtes abſolutus eſt, qui patris ne-

GELL. *l. 11. c. 7.*

necem, occisa matre, vltus fuerat. Huius parricidii nomine, cum certa ipsi apud Argiuos damnatio proposita esset, Athenas profugit, Mineruaeque supplex factus, in Areopago causam dixit: absolutus autem in hoc iudicio Orestes, cum, aequalibus vtrinque suffragiis, suum ipsi calculum Minerua adiecisset: vnde postea vsurpatum in sententiis ferendis, cum suffragia essent paria, vt absolueretur reus, adiecto calculo, qui *Mineruae* in memoriam huius rei dicebatur. qua de re plura in Boecleri dissertatione de Calculo Mineruae legi merentur. In Romana Historia T. Manlius summo iure contra proprium filium vsus est, quem capite plecti iubebat, quod neque imperium consulare, neque maiestatem patriam veritus, aduersus edictum extra ordinem in hostem pugnauerat. Quamuis omnes tam atroci imperio exanimati, nec aliter, quam in se quisque, districtam cernentes securim; metu magis, quam modestia quiescerent: Manlianaque imperia non in præsentia modo horrenda, sed exempli etiam tristis in posterum essent. Pari crudelitate, Papirius Dictator in magistrum equitum Fabium, qui itidem, inuito Dictatore, cum hoste manum conseruerat, saeuire moliebatur. nam ita id factum accepit, ut laetis aliis victoria parta, prae se ferret iram tristitiamque, quo minus tamen animum poenae auidum explere posset, primo obstitit exercitus cum legatis, qui recte iudicabant, non videri e Rep. in Q. Fabium eo tempore animadverti; dein consensus populi Romani ad preces et obtestationem versus, vt sibi poenam Magistri equitum Dictator remitteret. Tribuni quoque inclinatam rem in preces, subsecuti, orare Dictatorem insistunt, vt veniam errori humano, veniam adolescentiae Q. Fabii daret, satis eum poenarum dedisse. Quae causae tandem rigidum Dictatorem permouerunt, vt summo iuri renunciaret, et vt Q. Fabius non noxae exemtus, sed noxae damnatus donaretur populo Romano, donaretur tribuniciae potestati, precarium, non iustum auxilium ferenti. Similem fere casum in sacra Historia legimus, qui

LIV. l. VIII. c. 7.

LIV. VIII. 3°.

qui tum temporis contigit, cum Saul propter ſuam ſtultam traditionem filium, quem Deus ornauerat victoria, interfecturus eſſet, vbi itidem populus deprecando effecit, quo minus crudele conſilium perficeretur.

IX.

Haec de priori ſpecie iuris ſtricti vel ſummi exempla ſufficiant. ſequitur altera, calumnia dicta, quae à ſummo iure, ſpecialiter dicto in eo differt, quod iſtud leges absque vlla probabili circumſtantiarum mitigatione, quae tamen ex honeſta ratione ſumitur, in caſibus, de quibus lex non praecipue loquitur, ſtricte ſequatur ſecundum canones uſu tritos: *etiam lex dura ſequenda eſt.* et *qui vtitur ſuo iure nemini facit iniuriam.* ſed calumnia per cauillationem verba interpretatur, plane ſepoſito vero ſenſu ac mente legis vel pactionis; hinc talis calumnioſa interpretatio prorſus extra legem eſt, et eſt iniuſtitia prohibita aliis legibus, vt multa recitantur exempla calumnioſarum interpretationum, et ipſe Tullius in loco noſtro duo huiusmodi exempla in medium affert; vt ille, inquiens, qui cum triginta dierum eſſent cum hoſte pactae induciae, noctu populabatur agros, quod dierum eſſent pactae, non noctium induciae. qua friuola cauillatione tum Cleomenes contra Arginos teſte Plutarcho, tum Thraces contra Boeotios vſi ſunt, vti ex Strabone diſcimus, cum tamen ex materia ſubſtrata ſatis intelligatur, vt vox diei, ſi triginta dierum pactae ſint induciae, non debeat intelligi de diebus naturalibus, qui mora ſolis ſupra horizontem, ſed ciuilibus, qui ſpatio 24. horarum aequalium definiuntur. Ea res prouerbio locum fecit, *θράκεια παρεύρεσις*, id eſt, Thracum commentum ſiue inuentum, quod in eos dicitur, qui pacta eludunt callido vafroque aliquo commento. eſt enim proprie *παρεύρεσις* excogitata cauillatio, qua pactum eluditur, quas PLAVTVS ſutelas vocat. unde idem PLAVTVS alibi dixit *conſutos dolos,* nam

L. 11. §. 1. ff. qui et a quib. manum.

PLVT. *apophth. Lacon.*

STRABO *L. IX.*

PLAVTVS *in Capt. Act. III. ſc. V. c. 35.*

Amphitr. Act. I. ſc. I. v. 111.

nam *adsuere* et *consuere* in fraude, dolis et lenociniis dicuntur. Hinc *sutelae, astutinae dolosae*, FESTO a similitudine suentium, dictae sunt. Glossae: *sutela*, ἐνέδρα, ἐξαπάτησις, δόλος. *sutela, insidiae, fallacia, fraus.* quemadmodum etiam Graecis dicitur ῥάπτειν, item συῤῥάπτειν δόλυς, id est, aliquid quod alteri damnosum sit, struere. sic Euripid. Andromacha leguntur: μηχανοῤῥάφοι κακῶν. *fraudulenti sutores malorum.* Alterum exemplum calumniae a CICERONE allatum ex historia Romana adducitur: nec noster quidem probandus, si verum est, Q. Fabium Labeonem, seu quem alium (nihil enim praeter auditum habeo) arbitrum Nolanis et Neapolitanis de finibus a senatu datum, cum ad locum venisset, cum vtrisque separatim locutum, ne cupide quid agerent, ne appetenter, atque vt regredi, quam progredi mallent., id cum vtrique fecissent, aliquantum agri in medio relictum est. itaque illorum fines, sicut ipsi dixerant, vbi potius, obseruante GRAEVIO, cum PITHAEANO legendum: sicut ipsi discesserant, terminauit: in medio relictum quod erat, populo R. adiudicauit. decipere hoc quidem est, non iudicare, quocirca in omni re fugienda est talis solertia.

X.

Ad huiusmodi calumniosas interpretationes referre item possumus factum decem illorum, quos post Cannensem pugnam iuratos ad senatum misit Annibal, in castra redituros ea, quorum potiti erant Poeni, nisi de redimendis captiuis impetrauissent; quos,
LIV. *L. XXII.* si verum est, vt, teste LIVIO, memoriae proditum fuit, Romae remansisse, quod per causam recognoscendi nomina captiuorum, ad Annibalem ex itinere regressi, religione se se exsoluissent, vituperandos esse recte pronuntiat CICERO, vti et de iis dedendis, magna contentione actum in senatu esse, LIVIVS narrat: victosque paucis sententiis, qui dedendos censuerint. ceterum proximis censoribus, adeo omnibus notis ignominiisque confectos esse, vt quidam eorum mortem sibi ipsi extemplo consciuerint:

-rint: ceteri non foro solum, omni deinde vita, sed prope luce ac publico caruerint. quanquam de his non omnes vno modo, ita vt, iudice LIVIO, mirari magis, adeo discrepare inter auctores, quam quid veri sit, discernere queas. nam POLYBIVS bonus auctor inprimis, quae sunt CICERONIS verba, scribit, ex decem nobilissimis, qui tum erant missi, nouem reuertisse, a senatu re non impetrata: vnum ex decem, qui paulo post quam egressus erat e castris, redisset, quasi aliquid esset oblitus, Romae remansisse. reditu enim in castra liberatum se esse iureiurando interpretabatur: non recte, vti hoc iudicium CICERO statim addit. fraus enim adstringit, non dissoluit periurium. fuit igitur stulta calliditas peruerse imitata prudentiam. itaque decrevit senatus, vt ille veterator et callidus vinctus ad Annibalem duceretur. quo modo LIVIVS quoque rem gestam esse antea narrauerat, hunc, qui tali, nimis callida et peruersa iuris interpretatione vsus erat, minime Romani ingenii hominem existimans. GELLIVS autem scribit: octo statim, vt iurati erant, ad Hannibalem reuersos esse, duos reliquos Romae mansisse, solutos esse sese ac liberatos religione dicentes; quoniam, quum egressi castra hostium fuissent, commenticio consilio regressi eodem die, tanquam si ob aliquam fortuitam causam issent, atque ita iureiurando satisfacto rursum iniurati abissent. Sed GELLIVS quoque hoc appellat fraudulentam calliditatem, quae Romae tam turpis existimata sit, vt contemti vulgo discerptique sint, censoresque eos postea omnium notarum et damnis et ignominiis affecerint; quoniam, quod facturos deieraverant, non fecissent. CORNELIVM autem NEPOTEM in libro exemplorum quinto, id quoque literis mandasse, multis in Senatu placuisse, vt ii, qui redire nollent, datis custodibus ad Hannibalem deducerentur, sed eam sententiam numero plurium, quibus id non videretur, superatam: eos tamen, qui ad Hannibalem non redissent, vsque adeo intestabiles inuisosque fuisse, vt taedium vitae cepe-

L. III. off. 31.

LIV. *c. 58.*

GELL. *l. 7. c. 18.*

C

ceperint, necemque sibi conscinerint. qua in re pagani quoque vel beneficio luminis naturae agnouerunt, huiusmodi interpretationem veteratoriam esse, stulte callidam, neque a fraude et periurio immunem, nam rediisse, iudice GROTIO, ad hostem non dicetur, qui clam rediit, vt statim exiret: rediisse enim ita intelligi debet, vt in potestate hostium iterum sit. Ex quibus etiam intelligi potest, Ethnicos in hac et multis aliis partibus longe saniorem doctrinam Moralem professos esse atque exercuisse, quam multa Loiolitica ingenia hodie inter Christianos facere solent, quae id sedulo operam dant, vt impiis ac paradoxis doctrinis lumen naturale adhuc in homine residuum penitus suffocent et extinguant, miserosque mortales iam antea affectibus et prauis cupiditatibus satis excoecatos tenebris plus quam Cimmeriis magis magisque immergant.

GROT. *L. III. de I. B. et P. c.* 23. 13.

XI.

Sed vt eo redeamus, vnde paulisper digressi sumus: idem POLYBIVS aliud malitiosae iuris interpretationis exemplum in Locris commemorat, qui aeque stulto perfidiae effugio vsi sunt; nam polliciti se pactis staturos, quamdiu terram hanc insisterent et capita humeris gestarent, terram calceamentis iniectam et alliorum capita humeris ita superposita, vt non apparerent, abiecerunt, quasi eo modo religione se possent exsolvere. sic ATHENAEVS narrat, Iphiclum, cum Rhodii deditionem fecissent, ita, vt cum certo numero navium abire ipsis liceret, imposuisse eos in naues sine remis et velis. Apud XENOPHONTEM Critias eludit defensionem Theramenis hac fraude: Lex erat, ne quis Athenis eorum, quorum nomina in Catalogo scripta erant, interficeretur, nisi re a senatu indicata. ne igitur lex ista Therameni saluti esse posset, deleo, inquit, Critias nomen eius in Catalogo, ita lex ad eum nihil pertinebit, et in eum nos supplicio capitali animaduertimus. sed cum Theramenem hac elu-

POLYB. *T. II. L. XII. c.* 4. *p.* 915. *ed. Gron.*

ATHEN. *l.* 8. *p.* 361.

XENOPH. Hist. Gr. p. 469. *ed. Wech. conf. Cic l.* 1. *quaest. Tusc. c.* 40.

clusione Critias perdidisset, ipse aliquanto post a Thrasybulo interfectus poenas sophisticae dedit. Aliud exemplum narrat THVCYDIDES: Paches, cum cinxisset obsidione Colophonem, evocauit praefectum data fide, vt si nihil dixisset, quod sibi placeret, eum in suas munitiones rursus saluum sanumque restitueret. cum igitur ex vrbe egressus esset praefectus, retinetur in castris, et Paches oppidum oppugnat, quia absente duce praesidii facilis erat oppugnatio. postea capto oppido Paches reducit Arcadem in oppidum et ibi eum interficit, sed hic Paches postea sibi in ipso iudicum consessu, Athenis manu sua mortem consciuit. huc quoque pertinet factum eiusdem Q. FABII Labeonis, cuius iam supra in loco nostro CICERO mentionem fecerat, qui referente VALERIO MAXIMO, cum a Rege Antiocho, quem bello superauerat, ex foedere isto dimidiam partem nauium accipere deberet, medias omnes secuit, vt eum tota classe priuaret.

THVCYD. *l. 3. Hist. p. m. ed. Wech. 192.*

l. 7. c. 3. § 4.

XII.

Haec exempla calumniosae interpretationis sufficiant, ex quibus discrimen summi Iuris et calumniosi satis intelligitur. quamuis hoc inficias ire non possimus, saepe summum pro calumnioso dici, et interdum obseruationem summi iuris in calumniosam degenerare. quemadmodum etiam CICERONI, vti iam supra vidimus, ius summum et Calumnia sunt vnum idemque, et calumniam adesse dicit, quando iudex verba et literas legis sectatur, mentis autem ac intentionis legislatoris nullam habet rationem: Vnde iam facile de quaestione sententiam ferre possumus: An semper iudicandum sit ex scripto iure, an vero aequitas extra scriptum interdum sit quaerenda? vbi priorem quaestionis partem negamus, alteram vero affirmamus, et aequitatis obseruationem tum in iure diuino tum humano saepius locum habuisse et adhuc habere contendimus. Cum au-

tem ius diuinum ſit vel naturale vel poſitiuum, in priori aequitatem locum habere non poſſe iam ſupra obſeruauimus, id quod GROTIO quoque notatum ad Campanellae Politica, qui huius rei hanc reddit rationem, quod natura non loquatur vniuerſalius, quam Lex exigit, quamuis lex naturae, non prout in ſe eſt, ſed vt ab hominibus nimis vniuerſaliter enunciatur, opus habere poſſit interpretatione ἐπιεικείας, v g. ſuum cuique reddendum; intellige, vtenti ratione, et niſi ex iure ſuperiore adſit impedimentum. quo accedit, quod aequitas ſcriptam legem corrigat et emendet in eo, quod deficit, quia generaliter ſcripta ſit. iam hoc ad legem naturae applicari non poteſt, cum haec non ſit ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus. ad quam non docti ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus. quam ob cauſam SOCRATES quoque apud Xenophontem leges naturae non ſcriptas dicit: *An quasdam leges non ſcriptas eſſe arbitraris, o Hippia? Eas, inquit, quae vbique terrarum latae ſunt eodem modo. potes igitur dicere, eas a quoquam mortalium fuiſſe latas? Et quomodo, inquit, id fieri poteſt? quippe quae conuenire nec posſint, nec eadem voce loquantur? A quibus igitur has leges latas fuiſſe exiſtimas? A diis, inquit.* ius igitur naturae eſt ipſa aequitas, quae quidem ius poſitiuum corrigit, ipſa tamen nullam correctionem admittit. quod vero ad leges diuinas poſitiuas, vti appellari ſolent, attinet, circa eas ſaepe aequitatem adhibitam fuiſſe, multa exempla ex hiſtoria ſacra depromta euincunt. ita Dauid in neceſſitate conſtitutus veſcebatur ſacris panibus. nam ſciebat, inter omnes exceptiones, quae tacite inſunt legibus, nullam eſſe aut receptiorem aut iuſtiorem, quam eam, quae fluit ex neceſſitate. Bene SENECA: *Neceſſitas magnum humanae infelicitatis patrocinium, quae, quicquid coëgit, defendit.* ita Maccabaei pugnabant in ſabbato, cum lex praecipiat quieſcere. ſed quia hoſtes ipſam ſabbati

CIC. *pro Milon. c. 4.*

f

l. IV. Memorab.

M. SENECA *L. IV. controv. 27.*

bati occasionem captabant, vt tunc Iudaeos opprimerent, cum non praeliabantur, tandem Maccabaei anteferunt defensionem ciuium, quae est praecepta lege morali, et quidem seruabant finem legis. non enim hoc agebant, vt his exemplis abolerent sabbatum, sed multo magis, ut sabbatum et doctrinam propugnarent et defenderent. Nimirum moralia sine dubio anteferenda sunt ceremoniis, si vtraque non possint seruari, inprimis cum in omni legum genere minimae necessitatis vtilitatisque sint leges sacrorum rituum et institutorum ciuilium, quas certum est non ob id ipsum, quod in lege est, sed aut ἐυταξίας aut significationis alicuius gratia repertas. Hoc ipsum est, quod Seruator noster Pharisaeorum animis inculcat, dum eos discere iubet quid sit, quod Deus per Prophetam testatur: se malle pietatem, quam sacrificium. vbi vox זבח συνεκδοχικῶς omnem rituum obseruationem significat, quia in eo operum genere sacrificia excellebant. Huc pertinet locus apud Rhetoras notus de legibus non ex auctorum proposito, sed casu aliquo inter se pugnantibus. Graeci hanc ἀντινομίας speciem vocant τὴν ἐκ περιστάσεως μάχην. ad talis controuersiae diiudicationem regulae quaedam tradi solent, quarum praecipuam Cicero his verbis explicat: *Primum igitur leges oportet contendere, considerando, vtra lex ad maiores h. e. ad vtiliores, ac honestiores ac magis necessarias res pertineat: ex quo conficitur, vt si leges duae aut si plures, aut quotquot erunt, conseruari non possint, ea maxime conseruanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur.* **de Inuent. II.** Quoties igitur leges ex circumstantia colliduntur, ita vt simul vtraque seruari nequeat, seruanda est lex potior. Leges autem morum, praesertim religionis ac beneficentiae potiores esse, quam leges rituum ceremoniarumque, extra controuersiae aleam positum est, siquidem Dei reuerentia et vitae integritas, ac beneficentia per se καὶ προηγουμένως Deo probantur, ritualia au-

autem opera ἑπομένως duntaxat, quateuus ex instituto, non naturaliter pietatem testantur, vnde sequitur, illa Deo nunquam non placere, haec vero non aliter, nisi illa praecesserint. quae veritas multos etiam ex profanis gentibus non effugit. Ita PLATO Alcibiade 2. καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ Θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄντις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν ἰτυγχάνῃ. in quam sententiam et in de Rep. libris multa praeclare sunt dicta et plura testimonia à GROTIO ex aliis quoque auctoribus allegantur, ex quibus temperare nobis non possumus, quin adscribamus pulcherrimum Hieroclis locum ad ipsius scripturae sacrae verba quam proxime accedentem μόνος οἶδε τιμᾶν Θεὸν, inquit, ὁ προηγουμένως ἑαυτὸν ἱερεῖον προσάγων. καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν. καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ παρασκευάζων νοῦν. *Nouit solus honorare Deum, qui se inprimis hostiam offerens, suumque animum diuinum simulacrum faciens, mentem quoque suam ceu templum ad diuinum lumen suscipiendum praeparat.* Nam, Deus vt ille ibidem ait, τὸ εὐτελέστατον προκρίνει τῆς πολυτελείας, ὅτι δὴ Θεοσεβείας γνώμῃ κεκόσμητο. μετ' αὐτῆς γὰρ πάντα Θεοφιλῆ. καὶ ἄνευ ταύτης οὐδὲν Θεῷ φίλον ἂν ποτε γένοιτο. *quod est vilissimum profusioni ideo praeponit, quod mentis pietate ornetur. haec enim si adsit, nihil non Deo gratum esse potest; contra autem si desit.*

ad c. 11. Matth.

HIEROCL. *in aur. Carm. p. m. 24. seqq. ed. Cantabr.*

XIII.

Quemadmodum vero Moralia ceremonialibus, si collidantur, praeferenda sunt, ita in ipsis Moralibus, leges, quae pertinent ad religionem et cultum Dei, legibus ad nostram vel aliorum salutem spectantibus anteponi debent. Nam Deus supra omnia est diligendus. Ergo mors potius milli-

es-

es oppetenda erit, quam vt abnegatione Dei aut verae religionis, nostrae aut nostrorum saluti consulere velimus. Etenim cum Deus sit summum hominis bonum, quo obténto veram ac summam obtinet felicitatem, et quo amisso in barathrum infelicitatis et exitii praecipitatur. Sane omnium reliquorum bonorum imo ipsius vitae iacturam potius faciendam esse, quam vt tale quid committamus, quo Deo eiusque fauore priuemur, vnusquisque satis perspicit. Cum enim certum sit, Deum homini longe grauius malum posse infligère, quam mors est naturalis, et ex ipsa quoque natura satis probabile sit, eundem longe nobiliori bono velle compensare iacturam vitae, quam quis in honorem ipsius facit; nefas itaque fuerit, euitando minore malo, in honorem diuinum delinquere. Hinc nullo in casu licitum erit periurium committere, aut numen diuinum conuiciis proscindere, aut religionem veram eiurare ac falsam amplecti, aut imminente periculo vitae religionem falsam simulare, aut veram dissimulare. de quibus plura in Disputatione summe Venerandi D. IO. SCHMIDI nostri de Fauore Necessitatis legi merentur. Quamuis igitur sit lex moralis et naturalis, quae praecipit, non esse occidendum: lex tamen de obedientia Deo praestanda est superior et Abrahamus recte filium mactare aggrediebatur, cum Deus hoc ei praeciperet: neque est, quod obiicias, ne Deum quidem leges naturales abrogare vel iisdem quempiam soluere posse. nam praecepta secundae tabulae, quae ius ac bona hominum inter se respiciunt, habent quidem ratione hominum inter se intrinsecam eiusmodi honestatem, vt nulli hominum eadem violare liceat; quare nec potest Deus generalem praescribere legem, qua officia, quae ratio aliis exhibenda esse dictat, vetet, ac contraria praecipiat, nisi ipsam rationem euertat, et sic seipsum ab-[neg]et, quod tamen nunquam fieri posse certissimum est. Id

ta-

tamen non obſtat, quo minus Deus pro abſoluto ſuo dominio ob cauſas graues certo caſu extra ordinem quid, quod legibus iſtis contrarium eſſe videtur, praeſcribere poſſit. Ita Abrahamo vt filium ſuum ſibi immolaret, praecipere potuit, vt ita Abrahami fidem ac amorem aduerſus ſe exploraret. quia eſt vitae necisque Dominus, in cuius arbitrio poſitum eſt, nos quocunque tempore et quacunque ratione ipſi viſum fuerit, ex hac vitae ſtatione euocare. attamen generalem illam regulam de non occidendo aut furando Deus ſoluere non poteſt, quin omnibus ſceleribus feneſtram aperiat, ſanctitatemque ſuam abneget. Alia autem ratio eſt praeceptorum primae tabulae Decalogi, qua, quae vetantur actiones, ita intrinſece ac natura ſua ſunt turpes, vt nullo omnino caſu poſſint fieri honeſtae, vt idololatria, abnegatio Dei vel nominis diuini blasphemia, ac proinde nunquam a Deo praecipi poſſunt.

XIV.

Vidimus huc usque de legibus diuinis et caſibus, vbi interperetatio earundem ſecundum aequitatem inſtitui debere videatur. reſtat, vt adhuc quoque quod ad leges humanas disquiramus, quomodo Iudex hic ſe gerere debeat, an ipſi ſemper iudicandum ſit ex ſcripto iure, an vero aequitas interdum extra ſcriptum quaerenda ſit? Circa quam quaeſtionem ſupponimus, leges in Rep. pro ſtatu hominum corrupto, qui in praeſens obtinet, omnino eſſe ſumme neceſſarias, nam etſi diſcrimen honeſtorum ac turpium Deus hominum mentibus impreſſerit, ita vt gentes legem non habentes ſibi ipſis ſint lex, quandoquidem opus legis ſcriptum ſit in cordibus omnium hominum: *Rom. X. 15.* per lapſum tamen protoplaſtorum atque cum conſecutam peccati originalis in omnes homines propagationem, notitia illa legis naturalis valde obſcurata eſt, adeo vt affectuum inordinatorum impetus rationem ſaepe in transu-

ſum

ſum abripiat, opus igitur eſt poſitiuis legibus, quibus homines per praemia ad faciendum bonum efficacius permoueantur, ac per poenas ad vitandum malum impellantur. Dein lex naturae generalia duntaxat praecepta continet et in genere tantum praeſcribit, quid agendum, quid fugiendum, nec deſcendit ad particularia. Iam vero non omnes eo valent ingenio, vt ex generalibus illis principiis deducere poſſint, quid in caſibus ſpecialibus, qui ob circumſtantias plurimum variant, ſit ſtatuendum; proinde ſpecialibus quibusdam legibus ex fonte iuris naturalis deducendis et ad cuiusque Reip. conditionem accommodandis eſt opus, vt publicum bonum promoueatur. *Conſtat enim*, teſte Cicerone, *ad ſalutem ciuium ciuitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam et pacatam conditas eſſe leges.* *l. 2. de legibus.* Ex quo legum in Rep. promulgatarum ſcopo ſatis claret, ordinario iure ex ſcripta lege iudicandum eſſe, ac praeſertim de ea ſpecie, hoc eſt in factis ſeu caſibus, de quibus lex praecipue loquitur ac manifeſta ratio eſt; fruſtra enim leges ſcriberentur, ſi iudicibus ab illis recedere et ſuo arbitrio ius fingere liceret: Hoc fine leges ſunt conditae, ut iudiciorum regulam conſtituant: *Iudicare debet iudex, vt legibus, conſtitutionibus ac moribus prouiſum*, inquit IVSTIN. in pr. Inſt. de offic. Iud. vnde iudicialem calculum non aliter nec prius iudices acceperunt, quam iusiurandum praeſtitiſſent, omni modo *ſe cum veritate et legum obſeruatione iudicium eſſe diſpoſituros.* *l. 14. in pr. C. de judic.* Iudices Athenienſium iurabant: *ſententiam ſecundum leges feram.* *Muret. l. 2. var. lect. c. 18.* et ex praeſcripto Iuſtiniani Iudices ſemetipſos diris et execrationibus deuouere adigebantur, tali ſcilicet formula: *Si non haec omnia ita ſeruauero, recipiam hic et in futuro ſeculo in terribili iudicio magni Domini Dei et Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, et habeam partem cum Iuda et lepra Giezi et tremore Cain.* *Novell. 8.* Quin etiam de iudicibus illis, qui leges ſibi praeſcriptas negligunt et ex ſuo placito ſententias ferunt, terri-

D bilis

bilis admodum exſtat conſtitutio Leonis et Alexandri Impp. *Inueniat itaque iſte*, qui aliter quam ex praeſcripto legum iudicium ſententiamue ferre audet, *et Deum, et coeleſtes omnes atque incorporeas poteſtates ſibi nunquam non aduerſantes: immature ex hac vita excidat potius, quam excedat. Incommodis inſuper afficiatur perpetuis, ipſius aedium fundamenta ignis tandem deuoret, et poſteritas eo redigatur inopiae, vt panem oſtiatim quaeritet, atque haec iure ſane optimo, propterea quod leges, quas liberrimas eſſe oportuit, ſeruas quodammodo atque captiuas effecit fictorum prauorumque iudiciorum.*

XV.

Et haec neceſſitas ſecundum leges ſcriptas iudicandi et pronunciandi tanta eſt, vt haud pauci in ea verſentur ſententia, iudici nunquam licere ex aequitatis regulis rigorem iuris temperare. Quin ſi lex tam dura ſit, vt aequitatis rationi prorſus aduerſetur, aequitas vero teneri non poſſit, quin lex offendatur, nihilominus, legem obſeruandam eſſe docet ANT. FABER. Doctisſimus quoque CONRINGIVS ἐπιείκειαν, per quam leges interdum in iudiciis ſint temperandae, ac illam moderandarum legum peritiam ac poteſtatem, ſupra dignitatem eſſe iudicis exiſtimat; hoc enim ſpectare ad munus τȣ̃ νομοθέτȣ, qualis in Rep. Rex eſt, et in vniuerſum omnis, quem penes eſt poteſtas ſumma; nec temere communicari cum iudicibus aut magiſtratibus poſſe absque ſummo reip. diſpendio, ceu vſu ipſo doceamur, non ſatis ſibi hodie ea in re cauentibus pasſim ciuitatibus, etſi ipſemet Iuſtinianus longe prudentisſime id omne ſibi ſoli tanquam ſummo Principi in ſua Rep. olim vindicauerit. Cui ſententiae STRVVIVS itidem ſubſcribere videtur, qui, cum ἐπιείκεια omnis ſit correctio quaedam legis, qua parte vel deficit vel abundat, correctio-

ANT. FABER *I. Iurispr. I. pr. ill. 2.*

CONRING. *Differt. ad l. I. Codic. Theod. de ſtud. liber.*

STRVV. *De Iure, aequit. et interpr. Iuris. p. 83.*

au-

autem vim legislationis habeat, nec ferre aut corrigere legem possit, nisi qui sciat, ecquid sit ex Reip. vsu, positiuarum legum vnico fundamento, ad neminem hoc spectare nisi ad legislatorem ipsum iudicat. Interim tamen in ipso quoque Iure Ciuili innumeris locis legitur, hanc potestatem secundum aequitatem iudicandi iudicibus omnino concedi, ita vt durities legum nonnunquam a ICtis interpretatione facta mollienda sit. Enimuero ne iura impingant in iustitiam naturalem, saepe attemperatione quadam vel potius vera legislatorum intentionis applicatione opus est. Et benigniorem hanc laxioremque iuris interpretationem, quae verborum angustiis non includitur, sed voluntatem eius, quam consectetur, inquirit, Constantinus Imp. non aequitatem tantum, sed et iustitiam vocat: *Placuit*, inquit, *in omnibus rebus praecipuam esse iustitiae aequitatisque, quam stricti iuris rationem*, tacite innuens, stricti iuris rationem iustitiae nomine indignam esse, et id demum iustum esse, quod aequum fuerit, quod menti et voluntati legislatoris conuenerit. Et in hoc maxime versatur tum Iudicis tum ICti munus, vt legem omnem scriptam ad ἐπιείκειαν illam et communem legem, quae scripto non est comprehensa, reuocent interpretando. hinc iudices teste ARISTOTELE olim iurabant, se non tantum ex legum praescripto iudicaturos, sed etiam addebant τῇ γνώμῃ δικαιοτάτῃ καὶ ἀρίστῃ *sententia iustissima et optima*.

L. 8. C. d. Iudic.

L. 1. Rhet. c. 15.

XVI.

Cum vero hac ex parte maximum sit periculum, ne forsitan ICti vel Iudices hac potestate abutentes, in aequitatem, quam vulgo vocant, cerebrinam delabantur, haec caussa iam supra memoratos auctores et plures alios permouisse videtur, vt aequitatem stricto iuri praeferendam esse negarent. Vti in talis aequitatis sectatores eleganter inuehitur ANTO-

NIVS FABER in ep. dedicat. praemissa libris de error. pragm. cuius verba adscribere operae pretium erit: *Quid ad inducendos errores*, inquit, *accommodatius*, *quam si in reddendo iure propriam cuique animi sententiam pro ratione sequi*, *et nescio quo aequitatis commentitiae obtentu legibus illudere passim concedatur? Mos enim solemnis est istiusmodi hominum, vt siue delirent, siue recta sentiant, (quod nonnunquam, sed casu, euenire necesse est) omnia referant ad aequitatem, quam pro arbitrio sibi fingunt, vt magni non iuris tantum, sed quod etiam in iure praecipuum est, aequitatis arbitri existimentur Quod si ad eorum ineptias profligandas Papiniani autoritas et quod est consequens, non mera solum, sed vera etiam probaque iuris aequissimi ratio aliqua obiiciatur, tum isti nudis, quod aiunt, ridere dentibus et subtilitates istas, aucupia et apices dicere, vt quia nihil habent, quod commode respondere possint, honeste saltem conticescant.*

XVII.

Dicast. Conclus. 36. §. 35. p. 674.

Vt igitur hic media via tutissimi incedamus, haud ab re fuerit obseruare, cum B. ZIEGLERO, aequitatem, quae in Iuris interpretatione adhiberi potest, esse vel intrinsecam vel extrinsecam. Extrinseca aequitas dicitur, quae obuersa fronte cum iure committitur, et non a verbis solum, sed etiam a sententia scripta legis aliena est. Haec iudicis priuati non est, sed solius Principis potestati reseruatur, ita vt ex ipsius potestate legislatoria pendeat duritiem legis suae, humanitati incongruam emendare. qua de re SYMMACHVS, *alia est*, inquit, *conditio magistratuum, quorum corruptae videntur esse sententiae, si sint legibus mitiores. alia dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri iuris inflectere.* vbi tamen obseruandum est, quod Lex, si nimis dura sit, potius tota corrigi debeat, quam vt vni paucisque data venia, ceteris

SYMMACH. l. 1. ep. 63.

teris omnibus atrocior poena infligatur. quod vero attinet ad aequitatem intrinsecam, illa dicitur, quae legibus aliis adiuta regulam iuris scripti eiusque rigorem ex mente legis et facti circumstantiis temperat, et inflectit. et haec aequitas ad officium iudicis pertinet, ita vt peccet omnino iudex, qui verba legis captat et mentem legislatoris non attendit. nam in omni lege non solum verba, sed inprimis quoque mens seu voluntas et ratio, quae sunt anima legis, spectari debent. quotiescunque igitur manifesta adest iniquitas ipsi iuri naturae repugnans, si secundum literam legis sententia feratur, sane per se patet, a litera in hoc casu esse recedendum, cum summa vrgeat necessitas, et ipse legislator, si praesens adesset, hic literam non esse retinendam sit pronuntiaturus. nam omnia iura ciuilia nituntur naturali aequitate et quicquid huic repugnat, minime pro iure, sed pro summa iniuria habendum est. et si casus incideret, vt talia iura, quae ius Naturae et alia diuina iura euertunt, in Rep. sancirentur, iis parendum non esse vel exinde liquet, quod Deo Auctori iuris naturae, plus quam hominibus obedire teneamur, et quod ad ea, quae illicita sunt, nemo possit obligari, nam quae facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et vt generaliter dixerim, contra bonos mores fiunt: nec facere nos posse credendum est, vti grauissime pronuntiauit PAPINIANVS ICtus. *L. 15. ff. de condit. instit.*

XVIII.

Et hoc est fundamentum distinctionis vsu tritae, qua alia interpretatio dicitur esse declarans, alia extendens, alia restringens. declarans mentem legis exponit, prout verba iacent, quam fusius explicat Illustris THOMASIVS. *THOMAS. Iurispr. Div. L. II. c. 12. § 9.* extendens interpretatio est, quando lex circa singularem causam vel materiam occupata, etiam alii applicatur, propter ratio-

 tio-

tionis ſimilitudinem. qua ratione qui interpretatur, *ad Similia procedere* dicitur. hac nititur frequens ICtorum vox: *Vbi eadem eſt ratio, ibi idem ius eſto.* Vt autem extenſio talis in lege recte fiat, liquido debet conſtare, rationem, ſub qua venit caſus, eſſe cauſam vnicam et efficacem, quae legislatorem mouerit, eamque rationem ab eo conſideratam in ſua generalitate, ita vt eandem ad praeſentem quoque caſum voluiſſet applicare, ſiquidem eum praeuidiſſet, aut de eo cogitaſſet: idque quia alioquin lex futura fuiſſet inutilis aut iniqua. ita ſi Princeps exportationem frumenti prohibuerit, farinam quoque hac prohibitione contineri vnusquisque ſatis intelligit. huc referenda ſunt, quae a Rhetoribus traduntur περὶ συλλογισμȣ̃ *de ratiocinatione.* quando res, de qua non eſt propria lege cautum, colligitur ex re ſimili, de qua ſtatutum eſt lege, propter eandem rationem, ſeu vti QVINTILIANVS loquitur, *vbi ex ſcripto ducitur, quod ſcriptum non eſt. ſiquidem nulla tanta prouidentia potuit eſſe eorum, qui leges componebant, vt omnes ſpecies criminum complecterentur. nam et ſemper cauentes nequitia viciſſet; et ius ita multiplex atque diffuſum eſſet, vt pro incerto haberetur ignotum. fecerunt ergo vt rerum genera complecterentur, et ſpectarent ipſam aequitatem. multa ergo inuenientur frequenter, quae legum verbis non teneantur, ſed ipſa vi et poteſtate teneantur.* Interpretatio denique reſtringens inprimis huc pertinet, ac in eo conſiſtit, vt verba legis vniuerſaliter enunciantis ex aequo bono reſtringantur, ne contra legislatoris ſententiam alieno facto lex inique applicetur. cum enim lex omnis ſit propoſitio vniuerſalis et tamen circa materiam contingentem legislator verſetur, accidit interdum, vt verba legis praeter illius intentionem videantur euagari, eosque caſus complecti, quos ipſe legislator, ſi praeuidere potuiſſet, exemiſſet. ne igitur lex ad iniquum trahatur et ex

l. 12. ff. de legib. l. 32. ff. ad leg. Aquil.

Decl. 331.

ſum-

summo iure summa nascatur iniuria, legibus scriptis, restrictione adhibita, succurrit aequitas atque his ἐλλείμμασι defectibus medetur. exempli gratia, lex est huiusmodi: Peregrini muros ascendentes capite puniantur. tempore belli quidam peregrini ascendunt muros, vt hostes repellant et tueantur ciuitatem. hoc factum non est expressum in ea lege: sed aequitas debet supplere, vt intelligantur tantum capite puniendi illi, qui ascenderint muros alia de causa, quam vt seruent ciuitatem, et excipiantur a tali lege illi, qui propter salutem ciuitatis id fecerint; qua de re si interrogaretur ipse legislator, etiam ipse exciperet tales peregrinos de ciuitate bene merentes.

XIX.

Fundamentum huius interpretationis restringentis *primum* in eo collocat GROTIVS, quod nemo credendus sit velle absurda. *secundum* in eo, quod contentum in promissione vel lege, vbi ratio talis additur, aut de ea constat, non consideretur nude, sed quatenus sub ea ratione venit. *tertium* in eo, quod materia, de qua agitur, semper intelligenda est obuersari animo loquentis, etiamsi verba latius pateant: Huc spectant regulae satis notae: Verba sunt intelligenda, secundum substratam materiam. item: vbi cessat ratio, ibi cessat iuris dispositio. eleganter CICERO: *Nulla res neque legibus neque scriptura vlla comprehendi, denique ne in sermone quidem quotidiano atque imperiis domesticis recte potest administrari, si vnusquisque velit verba spectare, et non voluntatem eius, qui verba habuerit, attendere.* et alibi: *si verba inter nos aucupabimur, ne domi quidem in seruos domesticum vllum imperium habebimus, si seruulis hoc nostris concesserimus, vt ad verba nobis obediant, non ad id, quod verbis intelligi possit, obtemperent.*

GROT. *de I. B. et P. L. II. c. 16. §. 22.*

CICERO l. 2. *de Invent.*

pro Caecina.

XX.

Ex dictis satis patet, accurate hoc loco distinguendam esse

esse interpretationem vel mitigationem legis κατ' ἐπιείκειαν seu aequitatem a relaxatione legis, quam dispensationem vocant, quae est, cum legis manentis obligatio circa certas personas aut res tollitur. nam cum aequitas adhibetur, persona aut res, de qua agitur, verbis tantum legis, non autem sententia fuerat comprehensa, adeoque reus vere non obligabatur. at cum relaxatur lex, non modo verbis sed et sententia legis, persona aut res comprehendebatur. vtrinque lex manet et tamen reus absoluitur, aliter quam fit in abrogatione, aut derogatione aut obrogatione. abrogatio enim legis tum fit, cum lex prorsus tollitur, et neminem amplius obligare declaratur. derogatio, cum pars legis tollitur. obrogatio, cum lex contraria fertur. quoties igitur causa subest, quae ad legem ex aequo et bono temperandam per se satis esse potest, quod fere contingit tum, vti supra vidimus, quando legis obseruatio naturali rationi ipsiusque Legislatoris sententiae aduersatur, non opus est dispensatione, sed ipso iure quis a legis praecepto solutus est. at dispensatio non est ex aequo et bono interpretari, sed a lege excipere aliquem, eique in delictis iam commissis facere poenae remissionem, id quod nulli Iudici inferiori competit. hinc quoque si quid aequum quidem et bonum sit, sed alioqui alienum ab legis scriptae non modo verbis, sed etiam sententia, quodque legislatori aut visum esse aut placuisse dici non possit, id certe priuatae interpretationis non est, sed ad Principem referri et sententia eius exquiri debet. Et hoc est, quod olim constituit Imperator CONSTANTINVS: *inter aequitatem iusque interpositam interpretationem sibi soli et oportere et licere inspicere.* conf, B. ZIEGLERVS Dicast:

In l. 1. Cod. de legib. p. 679.

XXI.

Sub finem dissertationis propter cognationem materiae

quae-

quaestionis mentionem facere liceat: an iudex secundum acta et probata, an vero secundum scientiam suam certam, exploratam et inuincibilem iudicare debeat? Hanc quaestionem iam ventilatam legimus apud A. GELLIVM, vbi his verbis proponitur: *Iam omnium primum hoc de iudicis officio quaeritur; si iudex forte id sciat, super qua re apud eum litigatur, eaque res vni ei, priusquam agi coepta aut in iudicium deducta sit, ex alio quodam negotio casuque alio quo cognita liquido et comperta sit; neque id tamen in agenda causa probatur: oporteatne eum secundum ea, quae sciens venit, iudicare, an secundum ea quae aguntur?* In vtramque partem a veteribus recentioribusque Iuris Consultis nec non a Theologis haec quaestio disputata fuit. Martinus antiquus Glossator conscientiam Iudicis priuatam existimat anteponendam esse actis et probatis, eiusque sententiam ex recentioribus Iuris Consultis etiam sequuntur CORASIVS, FRANCIS. BALDVINVS, OLDENDORPIVS, FERDINAND. VASQVIVS, HOTOMANNVS. IOANNES vero etiam antiquus Glossator contrariam tuetur opinionem, et iudicem ex actis et probatis censet iudicare debere, non ex conscientia sua priuata; et huius sententia plurimorum Interpretum calculo est recepta, quam sequuntur ex recentioribus Iuris Consultis ALCIATVS, CLARVS, CRAVETTA, MENOCHIVS, COVARRVVIAS, REBVFFVS, CHARONDAS, CVIACIVS, alii. Ex Theologis priorem sententiam, quod nimirum Iudex posthabitis actis ex scientia et conscientia sua iudicare debeat, amplectuntur et primo ex nostratibus, summus Theologus B. GERHARDVS

L. 14. Noct. Att. c. 2.

CORAS. *L. 4. Miscell. c. 10.* BALDVIN. *ad tit. Inst. de off. Iud.* OLDENDORP. *de aequitat. et iure l. 13.* VASQV *c. 4. Illustr. Controv. c. 15.* HOTOMAN. *quaest. Illustr. 20.*

ALCIAT. *in c. 1. n. 33. ext. de off. ord.* CLAR. *in §. fin. q. 8. in fin. et q. 66. n. 2.* CRAVET. *de antiq. tempor. p. 1. §. 8. n. 11.* MENOCH. *l. 1. arbitr. quaest. 14. n. 2.* COVARRVV. *l. 1. var. resol. c. 1.* REBVF. *in repet. l. quod iussit. n. 7. de re iudic.* CHAROND. *l. 1. verisimil. c. 3.* CVIAC. *l. 12. obseruat. 19.* GERH. *Loc. de Magistr. n. 91.*

DANNHAVERVS *disp. decalog. 18. q. 9.* ANDR. RIVET. *in Ex. XXIII, 7.* VOET. *Disp. Sel. P. IV. p. 705.* ZIGLER. *Dicast. p. 591. seqq.*

DVS, item B. DANNHAVERVS. ex Reformatis ANDREAS RIVETVS et GISBERTVS VOETIVS, et ex noſtratibus Iuris Conſultis acrimonia iudicii et ſolida iuris peritia nulli cedens ſummus quondam Iuris Anteceſſor in Academia Wittebergenſi B. ZIEGLERVS, qui hanc quaeſtionem prolixe tractauit, contra ſentientium argumenta ſolide confutauit et ſuam plurimis argumentis tum ex ſcriptura ſacra tum ſana ratione depromtis egregie adſtruxit, ex quibus vel hoc vnicum ſufficiat, quod certum ſit et ex iure naturae conſtet, iudicem ſecundum veritatem iudicare debere, cum iuſtitia adminiſtrari et cuique ſuum tribui non posſit, niſi de facti veritate conſtet. Et in hoc Dei miniſter eſt iudex, vt ſecundum veritatem iudicet, nec errore aliorum ſe temere

L. 6. pr. ad Municipal. L. 15. ff. d. Iurisd.

induci patiatur, vt veritas amittatur. At qui certo ſcit, factum ita reuera ſe habere, vti ipſe vidit vel audiuit, acta autem et probata falſa eſſe, non iudicat ſecundum veritatem, ſi acta attendere, ſuam vero ſcientiam negligere velit. Per conſequens potius id, quod liquidisſime compertum habet, ſequi debet, quam quod ex probationibus pateſcit. Qui id non facit, mendacis nomen et notam meretur, cum omnino ille, qui verum dicit, quod certisſime nouit eſſe falſum, mendax ſit et contra conſcientiam peccet. Equidem alii medium hic eligere malunt et ſuadent, ſi religione moueatur iudex, quo minus iudicet contra, quam ipſe ſciat, rem ſe habere, vt perſonam iudicis deponat et ſuſcipiat teſtis vel accuſatoris,

LIVIVS *L. 3.*

quale exemplum apud LIVIVM relatum legimus: C. Julius Decemuir, inquit, accuſator apud populum maluit eſſe

VASQVIVS *L. 1. ill. controv. 14.*

eius rei, cuius iudex legitimus erat. Sed VASQVIVS eleganter reſpondet, eſſe hoc lugubre remedium, quia ſi alius iudex ſubſtituatur, cui non conſtet de accuſati innocentia, male cum accuſato agetur, quid enim iudex vtpote vnus teſtis contra tam multos efficiet. neque ſalua officii ratione iudex

in

in hoc caſu officium iudicantis deponere poteſt, quia iureiurando adſtringitur, vt quod ſibi iuſtum videatur, iudicet. At hic quid iuſtum ſit exacte cognitum habet. Ergo omnino iudicet vinculoque Iurisiurandi ſe exſoluat. Quare cum GERHARDO et ZIEGLERO huic ſententiae etiam noſtrum addere calculum non dubitamus et ſtatuimus, ſi iudici etiam priuatim conſtet, teſtes falſum deponere, quod illorum atteſtationem in iudicando contemnere debeat. Quibus autem haec ſententia paradoxa videtur, iis effatum Spiritus S. accurate perpendendum relinquimus. *Ne ſis nimium iuſtus, nec ſapias nimium, ne perdaris.* Eccl. VII, 17. Nam idem, quod CICERO in loco noſtro dixerat, innuere videtur:

SVMMVM IVS SVMMA INIVRIA.

S. D. G.

SVM-

SVMMARIVM
DISSERTATIONIS.

I. *Exordium de discrimine inter veram prudentiam et peruersam calliditatem cum textu huius disputationis argumento et partitione.* II. *Explicatur, quid sit calumnia.* III. *Quid sit ius, et quae origo iuris.* IV. *Textus loquitur de Iure Ciuili, cuius origo et indoles exponitur.* V. *De interpretatione Iuris et ICtis, quibus haec competit.* VI. VII. *De significatione Vocis* Callidus. VIII. *De discrimine inter summum Ius et Calumniam, vbi exempla summi Iuris afferuntur.* IX. X. XI. *Exempla item Calumniae recensentur.* XII. *De quaestione, An semper iudicandum sit ex scripto iure etc? et primo quod ad leges diuinas attinet, ostenditur, Ceremonialia cedere Moralibus.* XIII. *In Moralibus leges ad cultum Dei pertinentes aliis anteponi debent.* XIV. XV. XVI. *In legibus humanis an Iudici aequitas interdum extra scriptum quaerenda sit?* XVII. *Alia aequitas est intrinseca, alia extrinseca, prior iudicum, posterior solius Principis est.* XVIII. *De interpretatione declarante, extendente, restringente.* XIX. *Fundamenta Interpretationis restringentis adducuntur.* XX. *Interpretatio legis secundum aequitatem toto coelo differt a relaxatione legis, quam dispensationem vocant.* XXI. *De quaestione: an Iudex in certis casibus secundum acta et probata, an vero secundum certissimam suam et liquidam scientiam iudicare debeat?*

)o(